

nem datur, et præcipue de auxiliante loquitur. Id facile constabit attente eadem loca legenti; nam in primo ex libr. 3 Hypognost., cap. 5, postquam dixit: *Prævenitur homo medicina, id est, Christi gratia, ut sanetur*, addit: *Et reparatur in eodem vitata, atque præparetur voluntas, quæ semper indigens adjutorio illuminante, gratia Salvatoris possit tam Deum cognoscere, quam secundum ejus vivere voluntatem.* Illuminatio autem divina gratia auxilians est, quæ sub medicina gratiæ sanantis comprehenditur, quia inchoat sanitatem ab infirmitate bene operandi, ut ad sanitatem a culpa tandem perducatur. Idem facile intelligi potest ex altero loco de Correption. et Grat., capit. primo, nam paulo antea dixerat: *Adjuvat nos ut declinemus a malo, et faciamus bonum, quod nullus potest sine spiritu gratiæ.* Et paulo inferius addit: *Ac per hoc, et desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est,* et postea subjungit verba in argumento citata, post quæ iterum subdit gratiam remissionis peccatorum non sufficere sine liberatoris auxilio. Unde cum dixit: *Nisi fuerit liberatus ab eo qui dicit: Si vos filius liberavit,* sub liberante gratia non comprehendit tantum eam, quæ a peccato formaliter liberat, sed etiam illam, quæ liberat ab infirmitate pie operandi, et dat vires voluntati, ut ad integram sanitatem se disponat.

11. *Ad locum postremum Augustini in eodem num.* — Denique, ex verbis tertio loco citatis ex Epistola 106, priora contrarium probant, nam in illis docet Augustinus, quocumque modo opus meritorium præcedat gratiam, non imputari secundum gratiam, sed secundum debitum. Loquitur autem Augustinus de bono opere, quod totam gratiam etiam auxiliantem præcedat, et simpliciter de merito sive perfecto sive imperfecto sententiam illam profert. Nam paulo post subdit: *Si quis autem dixerit quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non possumus, imo gratissime constemur, hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem.* Unde constat loqui de fide, quæ antecedit charitatem; meritum ergo quod illi tribuit, non potest esse de condigno; est ergo de congruo; sed illud ait non repugnare gratiæ, quia ad eam fidem per Dei gratiam pervenitur, unde inferius addit: *Cum fides impetrat justificationem, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.* Ubi manifeste sicut negat meritum humanum, quod præcedat

justificationem, ita concedit meritum, ut ita dicam, divinum, id est, ex gratia præcedens, quo scilicet meretur augeri. Ubi non loquitur de augmento intensivo, sed extensivo per additionem, seu multiplicationem novæ gratiæ, quæ dicitur gratia pro gratia; sic enim gratia fidei meretur augeri per gratiam charitatis, seu justificationis, et remissionis peccatorum. Et eodem modo dixit idem Augustinus, dicta Epist. 105: *Si dixerimus fidem præcessisse, in qua esset meritum gratiæ, quid meriti homo habebat ante fidem, ut acciperet fidem?* Et de Corrept. et Grat., capit. 13, illam dicit esse gratiam pro gratia, quæ datur pro his meritis quæ contulit gratia. Et eandem doctrinam habet in libro de Grat. et lib. arb., cap. 8 et 9; et Fulgent., libr. 1 ad Monim., cap. 10.

12. *Ad primam rationem in n. 4.* — Ad primam rationem dici potest primo quod, licet meritum de congruo dicatur esse verum meritum, quia non metaphorice, sed per aliquam proprietatem tale est, nihilominus adeo est imperfectum, ut analogice tantum meritum sit, non quidem analogia quasi extrinseca et metaphorica, sed intrinseca, per imperfectam quamdam meriti participationem, ad eum modum quo accidens dicitur esse analogice ens. Cum eadem ergo proportione loquendum est de jure, quod merito correspondet. Nam jus simpliciter dictum solum dicitur de illo quod ad justitiam spectat, et hoc modo non est de ratione cujuslibet meriti dare jus, sed tantum illius meriti, quod simpliciter tale est, id est, perfecti, et de condigno. At vero latius loquendo de jure pro quacumque actione, seu titulo ad obtinendum aliquid ratione alicujus operis, sic etiam meritum de congruo dici potest dare aliquod jus. Sicut etiam sæpe Augustinus contra Semipelagianos dicit, quod ex tali merito datur, non donari, sed retribui. Imo interdum mercedem vocat id quod sic retribuitur, ut patet ex capit. secundo libri de Prædestinat. Sanctorum. Atque eadem responsio applicanda est ad secundam rationem, nam eadem ratio in debito militat, est enim quoddam debitum rigorosum, et de justitia, quod inducitur per solum meritum de condigno, potest tamen esse aliquod debitum secundum quid, quod, si ex opere nascatur, ad aliquam rationem meriti sufficere; sic enim dispositioni aliquo modo debetur forma, et bono operi debetur laus, de quo plura in sequentibus. Sic etiam patet responsio ad tertiam

rationem. Nam Deus non fit debitor ex justitia, nisi in vi promissionis suæ sub conditione operis condigni seu proportionati; nihilominus tamen secundum quid et imperfecte potest aliis modis fieri debitor, non tam aliis quam sibi et suæ providentiæ. Sicut dicitur quodammodo debere conservationem rebus quas condidit, vel generalem concursum causis quibus virtutem operandi tribuit. Quando ergo hoc genus debiti in operibus hominis fundatur, potest ad meritum de congruo sufficere. Adde insuper interdum posse meritum de congruo supponere promissionem Dei, neque solum promissionem ad debitum ex justitia sufficere, ut in superioribus tactum est, et iterum in sequentibus dicemus.

13. *Divisio meriti ex dictis consurgens stabilitur.* — Atque ex his concludere possumus divisionem illam meriti, in condignum et congruum, sufficientem esse, quia omne meritum vel est perfectum et de justitia, vel ad illam perfectionem non attingit. Prius est meritum de condigno; omne autem aliud est de congruo; est ergo sufficiens divisio. At vero Alexand. Alensis, loco supra citato, addere videtur meritum interpretativum. Verba tamen ejus sunt: *Duplex est meritum, scilicet, meritum interpretativum, et meritum congrui vel condigni.* Cum ergo dicat *duplex*, etc., manifestum est solum intendere bimembrem divisionem tradere. Et ideo dixi supra, in num. 5, videri per interpretativum illud meritum intelligere, quod est de congruo, et exempla quibus postea illud membrum declarat, hunc sensum confirmant. Unde necesse est ut meritum perfectum simul de condigno et de congruo appellet, quia sine dubio in opere, quod condignum est, maxima congruitas et quasi per antonomasiam reperitur. In alio tamen sensu posset dici meritum interpretativum, quod non fundatur in opere ipsius personæ, sed in aliqua ejus qualitate, sicut dicitur persona hominis, vel ingeniosa opera hoc vel illud mereri. Illud autem non est verum meritum, sed metaphoricum, ut in principio hujus materiæ dixi, ideo tale meritum non pertinet ad dictam divisionem, nec ejus membra multiplicat. Aliter vero, D. Bonaventura in 2, distinct. 27, et in 3, distinct. quarta, artic. 2, quæstion. 2, inter illa duo membra ponit meritum digni. Verumtamen in priori loco prius ponit bimembrem divisionem, et postea varios modos meriti de congruo subdistinguit, sub qui-

bus sine dubio comprehendit meritum, quod in posteriori loco vocat *digni*, nam illo modo dicit meruisse Virginem maternitatem Dei, quam de congruo sine dubio meruit. Nam quia meritum de congruo interdum esse potest cum dignitate personæ merentis, et ejus cui meretur, quamvis non omnes aliæ conditiones ad meritum justitiæ requisitæ concurrant, interdum vero esse potest sine tali dignitate, ideo primum vocat meritum congrui digni, ut sic dicam, posterius vocat tantum meritum congrui. Et ita non crescit divisio, et doctrina est vera, si bene explicetur, et applicetur, ut in sequentibus dicam.

CAPUT XXXIII.

QUÆ CONDITIONES AD MERITUM DE CONGRUO NECESSARIÆ SINT VEL SUFFICIENTES EX PARTE IPSIUS ACTUS MERITORII?

1. *Meritum congrui et condigni partim conveniunt.* — Ostendimus esse aliquod meritum de congruo, declarandum consequenter sequitur quid illud sit, quod facile præstabimus, explicando conditiones ejus per quamdam proportionem, vel potius declinationem a perfectione meriti de condigno. In hoc enim hæc duo merita conveniunt, quod utrumque est veluti proprietates quædam operis humani juxta doctrinam D. Thomæ in 1. 2, quæst. 21, art. 3 et 4, ubi sub hac generalitate, et abstracto ab utroque merito, hanc proprietatem actibus humanis attribuit. Et hinc manifestum esse videtur, neque omnes conditiones, requisitas ad meritum de condigno, ad meritum de congruo necessarias esse, neque etiam actum esse posse meritorium de congruo si omnibus illis careat. Prior pars clara est, quia, si actus habet omnes conditiones necessarias ad meritum de condigno, nihil supererit in quo possit ab illo differre, nec ratio reddi cur tale meritum perfectum non sit. Cum ergo meritum de congruo tanquam imperfectum a perfecto differat, non potest omnes ejus conditiones tanquam sibi necessarias postulare. Altera vero pars contraria ratione probatur, quia si actus moralis non habeat saltem aliquas ex conditionibus meriti de condigno, nullam veram rationem meriti participare poterit; unde enim illam habebit? Igitur explicandum est quænam ex conditionibus meriti de condigno ad hoc meritum necessariæ sint vel sufficientes, quod facile expediemus discurrendo per quatuor ca-

pita supra posita, scilicet, vel ex parte actus, vel ex parte personæ merentis, vel ex parte ejus cui quis meretur, vel ex parte DEI, quia hic solum de merito apud Deum agimus.

2. *De prima conditione meriti congrui assertio prima tripartita. Declaratur prima pars. — Declaratur secunda.* — Igitur ex parte actus in primis necessarium est ut actus meritorius de congruo, actus realis seu positivus sit, ac liber, et in aliqua temporis differentia existens. Prior pars ponitur ad excludendam meram omissionem, seu carentiam actus mali, nam illa per se non habet moralem habitudinem positivam ad præmium, sed ad summum dicit non repugnantiam seu carentiam obicis, in qua nullum est verum meritum. Nam is qui recipit sacramentum sine obice, præcise, et ex illo capite dici non potest mereri de congruo gratiam sacramenti. Et rationes, quibus supra probavimus, hanc conditionem esse necessariam in merito condigni, idem in præsentis probant. Secunda pars de libertate etiam est certa ex doctrina D. Thomæ, dicta quæstion. vigesima prima, ubi rationem meriti dicit esse proprietatem actus humani moralis ac liberi; loquitur autem ibi de merito abstracte, ut declaravi. Unde etiam ratio communis est, quia etiam hoc meritum de congruo est quid morale, et ideo supponit esse liberum, quod est fundamentum omnis moralitatis. Item, quia etiam hoc meritum debet imputari operanti; non potest autem ei imputari, nisi dominium sui actus habeat. Denique quia si actus sit omnino necessarius, non magis potest esse meritorius quam pulchritudo, nobilitas, aut aliæ naturales qualitates, quæ interpretative, aut metaphorice dicuntur aliquid mereri, non autem vere; meritum autem de congruo verum meritum est, licet imperfectum.

3. *Declaratur tertio.* — Tertiam particulam addimus propter errorem Semipelagianorum, qui dixerunt opera bona nunquam futura absolute et simpliciter, quæ tamen futura essent, si hæc vel illa conditio impleretur, esse ita meritoria apud Deum, ut aliquod præmium pro illis retribuatur; sic enim aiebant dare Deum fidem vel baptismum parvulo statim morituro, quia, si vixisset, bona opera facturum fuisset. Unde sequebatur talia opera esse nunc meritoria. Loquebantur autem ille de quodam minimo merito et imperfecto. Unde maxime circa meritum de congruo errasse videntur. Ita sumitur ex his quæ Prosper et Hilarius in epistolis ad Augu-

stinum referunt. Et ita illum errorem acriter impugnat Augustinus in libr. de Prædestinatione Sanctorum, capite duodecimo et sequentibus, et libr. de Dono perseverant., capit. nono et duodecimo, et sæpius in aliis locis. Et ratio est, quia quod neque est, neque unquam futurum est nihil revera est; ergo nullum meritum fundare potest, quod jam nunc, vel in aliquo reali tempore talem rationem habeat, sed solum quod haberet si talis actus fieret. Nam sicut conditionalis illa nihil ponit in ipso esse talis actus, ita neque in merito ejus. Item quia talis actus non potest vere et moraliter nunc vel in aliqua duratione reali imputari operanti; ergo nec potest fundare meritum, quod in præsentis veram congruitatem tribuat retributioni. Sicut e contrario meritum malum, si nunquam futurum est, etiamsi aliqua conditione posita futurum esset, nullam justam aut congruam vindictam fundare potest. De qua re in superioribus et in materia de Prædestinatione plura diximus. Et addere possumus, commune etiam esse huic merito cum merito de condigno, ut secundum realem existentiam præcedere debeat collationem præmii, saltem ordine naturæ, nam quoad hoc utriusque est eadem ratio, quia etiam meritum de congruo est causa sui præmii, non finalis, sed moraliter efficiens; omnis autem causa præter finalem supponitur suo effectui secundum realem existentiam saltem ordine naturæ.

4. *Tractatur secunda conditio meriti. — Dubium.* — De alia vero conditione actus meritorii, scilicet, quod sit absolute et simpliciter moraliter bonus, dubitari potest an sit simpliciter necessaria ad meritum de congruo. Sed ut separemus certum ab incerto, distinguere oportet de præmio hujus meriti; nam potest esse aliquid supernaturale, et ad salutem animæ conferens, aut aliquid naturale, seu temporale commodum hujus vitæ. Et in præsentis quidem de merito præcipue tractamus ut relato ad præmium supernaturale. Et de hoc merito certissimum censeo, nullum actum esse posse meritorium de congruo talis præmii, nisi absolute et simpliciter sit moraliter bonus. Nec in hoc aliquem ex Theologis contradicentem invenio. Et ratio est, quia, si opus non sit bonum, vel est malum, vel indifferens; neutrum esse potest illo modo meritorium; ergo. De malo actu probatur minor, tum quia, cum talis actus sit peccaminosus, displicet Deo tam ex parte operis quam ex parte operantis, quia opus est ipsius Dei offensio, et ope-

rans vel est peccator, vel, licet contingat alias esse justum, non bene sua justitia utitur; tum etiam quia repugnat idem opus afferre spirituale nocumentum animæ, et ad salutem ejus, et supernaturalia dona obtinenda conferre. Item repugnat esse dignum supplicio divino et spirituali (ut sic dicam), et simul offerre congruitatem vel proportionem aliquam cum spiritualibus donis, ut intuitu talis operis etiam de congruo conferantur. De actu vero indifferente idem facile probatur, tum quia revera non datur actus moralis in individuo indifferens, tum etiam quia, licet daretur, esset actus inutilis et improportionatus ad promovendam virtutem; ergo multo magis ad promerendum quocumque modo supernaturalia dona.

5. *Quidam limitant secundam assertionem ad meritum respectu præmii supernaturalis. — Eorum ratio.* — At vero si meritum tantum referatur ad præmium temporale, aliqui putant non esse hanc conditionem necessariam ad meritum de congruo. Quia, licet opus sit malum ex uno capite, verbi gratia, ex fine, potest ex objecto aliquam bonitatem habere, et e converso opus ex objecto pravum potest bona intentione fieri et inde aliquam bonitatem participare; deest autem ac congruum est ut Deus neque aliquam bonitatem actus irremuneratam relinquat; ergo in actu malo, quatenus aliqua ex parte bonus est, potest inveniri meritum de congruo, saltem respectu naturalis et temporalis præmii. Quam sententiam videtur approbare Medina 1. 2, quæst. 114, articulo quarto, et expressius Abulensis in capit. sexto Matth., quæstion. duodecima. Neuter autem in illa sententia persistit, quamvis dicant sine inconvenienti posse defendi, et Medina ad illam confirmandam inducit quædam loca Scripturæ et Patrum supra a nobis tractata, capit. quarto, ut de obstetricibus, Exod. 1, et de Raab, Josue 2 et 6, et de rege Babylonis, Ezechiel. 29, juncto testimonio Gregorii, 18 Moral., capit. secundo, alias quarto, dicentis redditum esse præmium obstetricibus occultantibus exploratores per mendacium, quod videtur probare D. Thomas, dicta quæst. 114, articulo decimo, ad quartum, et favet etiam Augustinus, libr. contr. Mendacium, capit. decimo quinto, et quæst. prima in Exod., et 5 de Civitat., cap. decimo quinto, quatenus dicit Deum non reliquisse Romanos sine præmio temporali propter bona ipsorum opera, licet ab illis non bene fierent, sed

propter amorem laudis humanæ, quod etiam sensit D. Thomas, lib. 3 de Regim. Princip., cap. 4, 5 et 6.

6. *Dicta limitatio excludenda.* — Nihilominus dico necessarium esse actum simpliciter bonum moraliter, ut apud Deum sit meritorius de congruo etiam præmii temporalis. Hanc partem magis probant dicti auctores, et communiter moderni Theologi, dicta quæstion. 114, articulo decimo, ubi D. Thomas, in solut. ad 4, contrarium non sentit, ut infra dicam, et in quæstion. vigesima prima, articulo quarto, ubi absolute dicit actum bonum esse meritorium apud Deum, malum vero demeritorium, nam actus malus non refertur in Deum, neque ejus honorem servat, et ideo nullius meriti apud ipsum esse potest. Tunc enim aliquis apud alium meretur, quando propter illum aliquo modo operatur, quia, ut recte dixit D. Thomas, in eadem quæstion. vigesima prima, articulo 3, meritum dicit habitudinem ad alterum secundum retributionem justitiæ aliquo modo, et ideo non est meritum apud aliquem, nisi propter illum fiat opus, quod ipsi aliquo modo placeat, vel placere debeat. At vero opus peccaminosum non fit propter Deum, neque est capax talis relationis, nec Deo placet; ergo nullius meriti esse potest apud Deum. Et ideo Christus, Matth. 6, de operantibus propter humanam laudem dixit: *Receperunt mercedem suam*, utique apud homines, nam apud Deum nullam habent. Et confirmatur, nam non est meritorium opus quod non est laudabile, nam, ut D. Thomas, in eadem quæst. 21, sentit, dignitas meriti supponit in opere dignitatem laudis; quomodo enim remunerabile aestimari potest quod laudabile non est, sed potius vituperabile? at vero peccatum non est laudabile, sed potius reprehensibile, et ideo poena dignum; ergo non potest simul esse de se dignum præmio, neque ad illud congruitatem habens, etiamsi temporale sit.

7. *Ad rationem adversariorum in num. 3. — Vide Augustinum, lib. contra Mendac., c. 15 et 16, et q. 1 in Exod.* — Neque obstat ratio in contrarium inducta; nam vel in illa est sermo de physica seu naturali bonitate actus, vel de morali. Prior non sufficit ad ullum meritum, quod in bonitate morali fundari debet, alias omne opus indifferens esset meritorium, imo et omne peccatum, etiamsi sit intrinsece malum, quia, ut actus positivus est, semper habet bonitatem naturalem.

Si autem sit sermo de bonitate morali, sic falsum assumitur in argumento, quia ex quocumque capite actus male fiat, nullam moralem bonitatem retinet, etiamsi sit de obiecto de se sufficiente ad dandam bonitatem actui, si prout oportet intenderetur, et ideo in tali actu nihil vere remunerabile relinquatur. Neque etiam obstant exempla in contrarium adducta; nam quod supra dixi de Raab ad obstetrices potest applicari, quia potuerunt habere duos actus: unum bonæ voluntatis liberandi parvulos, in quo potuit aliquod meritum de congruo fundari; alium mendacii, in quo nullum meritum habuerunt; potuit tamen cum hoc demerito simul consistere prius meritum, quia posterior actus non fuit circumstantia prioris, neque infecit illum, et concomitanter in diversis actibus possunt simul esse meritum et demeritum, ut supra etiam de merito de condigno dixi. Addi etiam posset potuisse obstetrices per ignorantiam excusari a culpa mendacii, vel etiam ob aliquam amphibologiam, quod etiam de Raab dici potest, quamvis utrumque incertum sit. Ad aliud vero de rege Babylonis, jam supra dictum est nullum meritum etiam de congruo in illo fuisse, quia ex prava intentione omnia operatus est, nullamque piam voluntatem aut intentionem honoris divini habuit, nihilominus tamen Deum voluisse exercitui ejus aliquod veluti stipendium laboris conferre, non ut præmium meriti, sed ex aliis rationibus suæ providentiæ, scilicet, ut ostenderet effectum illum sibi placuisse, et a se fuisse intentum, quamvis modus non fuerit ex motione ejus, sed ex permissione. Et ita etiam dici potest retributionem illam potius fuisse permissam quam redditam. Idemque dici potest de Romanis, nam Deus non illis contulit imperium tam ordinatione sua quam permissione. Addi vero potest Romanos, licet frequentius vana intentione operarentur, potuisse aliqua opera facere ex zelo justitiæ, quæ Deus ex sua liberali providentia temporaliter remunerare voluit, quia in illis aliqua congruitas meriti inesse poterat. Vel certe credibile est Deum, ex providentia generali hæc temporalia bona conferre iis, qui minus injuste agunt, etiamsi nihil bene operentur, idque non propter meritum ipsorum, nullum est enim, sed propter bonum universi, ut minora mala in illo fiant, vel ut homines subditi minus opprimantur, vel propter alias similes causas, quæ facile in hujusmodi providentia divina considerari possunt.

8. *Tractatur tertia conditio de supernaturalitate meriti.* — *Assertio tertia: non requiritur dicta conditio ad meritum temporalis præmii.* — Simili modo dubitari potest, de alia conditione ad meritum de condigno requisita, scilicet, quod sit opus supernaturale ex auxilio gratiæ procedens, et in supernaturalem finem aliquo modo ordinatum, an sit etiam ad meritum de congruo necessaria? In quo imprimis locum habet distinctio data in n. 5, de merito temporalis præmii vel spiritualis. Nam de priori certum est non esse necessarium supernaturalem actum vel relationem in supernaturalem finem ad meritum de congruo temporalis præmii; nam in actu moraliter bono, et convenienter ordinato ad Deum ut naturalem finem, est sufficiens proportio respectu præmii temporalis; ergo ex eo capite non est necessarium auxilium gratiæ ad tale meritum, si alioqui supponamus aliquem actum simpliciter bonum moraliter posse fieri sine auxilio gratiæ. Unde D. Thomas, in 1. 2, dicta q. 21, artic. 3 et 4, hanc proprietatem meriti etiam apud Deum posuit ut comitantem bonitatem moralem actus, abstracte et generatim loquendo, tam de naturali quam de supernaturali actu. Denique etiam in statu puræ naturæ pertineret ad providentiam Dei punire malos actus; ergo et præmium bonis reddere, quod tunc esset ordinis naturalis, quia utrumque postulat perfecta providentia; in illo autem statu non esset necessaria propria et supernaturalis gratia; ergo per se necessaria non est ad meritum temporalis præmii.

9. *Assertio quarta: requiritur tamen ad præmium supernaturale.* — Secus vero dicendum est de merito etiam imperfecto et congruo alicujus doni seu præmii supernaturalis. Sed quia hoc non est æque certum de homine sic operante in statu peccati, vel in statu gratiæ, ideo de utroque membro sigillatim dicendum est. Et imprimis certum existimo hominem existentem in statu peccati mortalis nihil supernaturale mereri de congruo apud Deum, per actum non procedentem ab aliquo auxilio gratiæ, etiamsi moraliter bonus sit. Probatur primo, quia in homine nullum est meritum in ordine ad salutem æternam, sive perfectum, sive imperfectum, quod non sit fundatum in gratia; sed tale opus in nulla gratia est fundatum; ergo nec de congruo meritum esse potest in ordine ad salutem æternam, ac subinde nec alicujus doni supernaturalis, nam hæc duo vel sunt idem, vel omnino sunt

conjuncta. Major certissima est ex dictis supra contra Semipelagianos, et supra in hoc libro, cap. 24, multa ex Scriptura et Augustino adduximus, quibus illa veritas plane confirmatur. Minor autem probatur, quia ille actus non est ab actuali gratia, ut supponitur, neque etiam informatur gratia habituali, quia ponimus fieri ab homine in statu peccati; ergo nullo modo est a gratia. Unde possumus secundo ab inconvenienti argumentari, quia sequitur posse hominem infidelem mereri de congruo primum auxilium gratiæ per bonum opus morale, quod ad errorem Semipelagianorum pertinet. Sequela patet, quia si talis actus potest esse meritorius de congruo alicujus doni supernaturalis, profecto nullum magis accommodatum excogitari potest quam aliquod primum auxilium gratiæ. Simili modo inferri potest posse fidelem peccatorem per moralia opera bona sine auxilio gratiæ facta mereri de congruo auxilium supernaturale ad veram poenitentiam agendam, quod esse omnino falsum constat ex dictis supra lib. 8, et in tom. 4 de Pœnit., et late etiam probat Soto, 2 de Natur. et Grat., capit. 4, et Medin. 1. 2, quæst. 109, art. 6, qui tamen universalis loquuntur, etiam de operibus gratiæ; sed in eo excedunt, ut infra videbimus. Ultimo est propria ratio a priori, quia opus mere naturale est improporcionatum omni præmio supernaturali, cum sit ordinis inferioris; ergo de se neque congruitatem habet, ut ad tale præmium ordinetur; neque etiam habet illam ex aliqua extrinseca ordinatione divina, quia nulla talis invenitur, nec cum fundamento affirmari potest; nec denique illam accipit ex conditione operantis, cum in peccato esse supponatur; ergo.

10. *An sufficiat supernaturalitas in persona, licet non in opere?* — *Ratio dubitandi.* — Hinc vero nascitur dubium de tali actu, quando fit a persona existente in gratia, quamvis actus ipse ex auxilio gratiæ non fiat, sed modo mere naturali. Et ratio dubitandi est, quia, licet ille actus ex se non habeat congruitatem ad tale præmium, videtur illam participare ex dignitate personæ operantis, quia gratia habitualis, dignificans personam, consequenter dignificat aliquo modo omnes bonos actus ejus, sicut persona CHRISTI, sanctificando naturam assumptam, consanctificavit omnes actus ejus. Confirmatur, quia multi ob hanc rationem tribuunt his actibus justorum meritum de condigno, etiam vitæ æternæ; ergo saltem admitten-

dum erit meritum de congruo, vel alicujus auxilii supernaturalis dandi in hac vita, vel alicujus gloriæ accidentalis vitæ futuræ. Nihilominus probabilius censeo etiam in homine justo actum moralem, qui non est ex auxilio gratiæ, non esse meritorium etiam de congruo supernaturalis præmii, ac proinde hanc conditionem, nimirum, quod actus sit aliquo modo supernaturalis et ex auxilio gratiæ, non minus necessariam esse ad meritum de congruo supernaturalis præmii, quam ad meritum de condigno. Ratio est, quia talis actus, licet concomitanter sit cum gratia, non tamen est ex illa vel immediate, vel saltem mediante aliquo auxilio, quod ratione ipsius gratiæ conferatur, et ita illa concomitantia est quasi per accidens, ac propterea non sufficit ut actus fiat proportionatus ad tale meritum, cum gratia nec sit circumstantia operis, neque ullo modo principium ejus. Secundo, declaratur amplius, quia talis actus, licet sit in homine fidei, non tamen est ex fide; quod autem non est ex fide, non potest esse supernaturaliter meritorium, tum quia fides est quæ omne meritum in nobis inchoat, teste Augustino in locis supra citatis; tum etiam quia quod Paulus dixit ad Hebr. 11: *Sine fide impossibile est placere DEO*, sicut est verum de personis in ordine ad supernaturalem finem, ita etiam est verum de singulis actibus in ordine ad eundem finem, ut supra etiam ex Patribus ostendi. At vero actus mere naturalis per se ac formaliter dici potest sine fide factus, quia, licet in operante non desit fides, ita facit actum ac si illam non haberet; ergo talis actus non placet Deo in ordine ad finem supernaturalem; ergo neque congruitatem ad supernaturale præmium habet. Tertio, explicatur amplius, quia sine influxu Christi nihil utile ad salutem facere possunt homines etiam justi, ut sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 16; ille autem actus non fit ex influxu Christi, tum quia influxus Christi in actum non est nisi per auxilium gratiæ; tum etiam quia in illo actu non operatur homo ut membrum Christi, quia, ut dixi, in illo non operatur homo per fidem, per quam primo efficitur membrum Christi. Denique in libr. 1 ostensum est nullum opus pietatis, seu confitens ad salutem æternam, posse fieri sine actuali gratiæ auxilio; ergo e contrario opus factum sine tali auxilio non potest esse quale esse oportet, ut ad pietatem seu salutem æternam conferat; ergo non potest esse meritorium de congruo supernaturalis præmii.

Probat consequentia, quia opus sic meritum non est parum utile ad salutem æternam. Propter quam rationem alibi etiam diximus orationem mere humanam, id est, factam sine spiritu fidei et gratiæ, non esse impetratoriam donorum gratiæ; ergo eadem ratione nec meritoria de congruo talium donorum esse potest. Et similis ratio fieri potest de dispositione, quia actus naturalis non disponit per se ad supernaturalia dona; ergo nullo modo meretur illa; est enim vel eadem, vel major ratio, quia, sicut in ratione dispositionis est inferioris ordinis, ita etiam in ratione meriti est quid mere naturale, et ideo non habet habitudinem etiam congruitatis ad præmium supernaturale. Et per hæc liquet contraria ratio dubitandi, ejusque confirmatio.

11. *Compendium dictorum de conditionibus meriti congrui ex parte actus.* — Concludimus ex parte actus tres condiciones esse necessarias ad meritum de congruo supernaturalis præmii, quod Christianum seu Theologicum meritum, licet imperfectum, appellare possumus, nimirum, quod sit liber, bonus et supernaturalis. Quæri autem potest an præter has condiciones aliæ requirantur. Nam quidam putant oportere ut sit opus superelevationis. Sed non est verum, nam in observatione mandatorum potest esse magna congruitas ad præmium. Nam si potest esse condignitas, ut supra cap. 5 ostensum est, cur non etiam vel multo magis poterit esse congruitas? Unde de hac conditione idem sentiendum est de merito de congruo, quod de merito de condigno in dicto loco diximus. Et simili modo quæ in capit. 7, 11 et sequentibus, de actibus internis et externis, et de modo libertatis in operibus de condigno meritoris diximus, ad meritum de congruo applicari possunt; nam eadem ratio intercedit, ut legenti et consideranti facile patebit. Addunt vero tandem aliqui, sicut ad meritum de condigno necessaria est quædam æqualitas saltem proportionis operis ad præmium, ita e contrario ad meritum de congruo necessarium esse ut in opere talis æqualitas non inveniatur, quia sicut æqualitas illa est necessaria ad perfectionem meriti, ita imperfectio meriti ex improportione operis consurgit. Sed hæc ratio solum probat interdum esse necessariam hanc imperfectioem operis, ut meritum sit de congruo et non de condigno, nimirum quando nulla ex aliis conditionibus, necessariis ex aliis capitibus ad meritum de condigno, deesset, nam tunc si

ex parte etiam operis sufficiens proportio concurreret, jam meritum non esset de congruo, sed de condigno. Fieri autem potest, ut ex parte personæ operantis, vel aliarum, meritum a condignitate deficiat, ut mox videbimus, et tunc non procedit ratio facta, nam poterit esse meritum de congruo, etiam si ex parte operis inveniatur æqualitas, quia ex quocumque defectu erit meritum imperfectum, etiam si in opere per se spectato non inveniatur. Dico autem *per se spectato*, quia si dignitas, aut valor operis, seu efficacia ejus ad meritum consideretur morali modo, et quatenus consurgit ex habitudine ad conditionem personæ merentis, vel cui, vel apud quem meretur, sic clarum est non posse opus habere proportionem ex his omnibus consurgentem, et esse meritum tantum de congruo. Tamen juxta hanc considerationem conjunguntur, et quasi confunduntur condiciones requisitæ ex parte operis cum concurrentibus ex aliis capitibus. Igitur præcise sistendo in conditionibus operis, fieri potest ut, licet ex ea parte habeat sufficientem proportionem, ex aliis defectibus sit tantum meritum de congruo, ut in merito primæ gratiæ, vel respectu sui, vel respectu aliorum, et in aliis exemplis ex doctrina sequentis capituli manifestum fiet.

CAPUT XXXIV.

UTRUM EX PARTE PERSONÆ MERENTIS ALIQUA SPECIALIS CONDITIO AD MERITUM DE CONGRUO REQUIRATUR?

1. *Primum dubium, an ad hoc meritum requiratur status gratiæ?—Opinio prima universaliter affirmans.* — *Suadetur ex Paulo.* — *Secundo ab inconvenienti.* — *Tertia ratio a priori.* — Post condiciones requisitas ad meritum de congruo ex parte actus, dicendum sequitur de requisitis ex parte personæ merentis, de qua duo tantum dubia occurrunt. Primum est, utrum in hoc merito necessarium sit status gratiæ ex parte personæ merentis. Et loquimur de merito in ordine ad præmium supernaturale, nam de naturali et parva est difficultas, et parum ad rem Theologicam refert, obiter tamen illud etiam attingemus. Prima ergo sententia docet statum gratiæ esse necessarium ad omne meritum de congruo apud Deum, ac proinde hominem existentem in statu peccati mortalis, non posse mereri quidpiam de congruo apud

Deum. Ita tenet Soto, lib. 2 de Natur. et Grat., c. 4, quem sequitur Medina 1. 2, quæst. 21, art. 4, dub. 2, ubi admittit in operibus peccatoris vim impetrandi, non autem merendi ullo modo; et quæst. 109, art. 6, dub. 3, ex professo impugnat meritum de congruo peccatoris, idemque sequuntur aliqui moderni. Fundantur primo in verbis Pauli 1 ad Corint. 13: *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Nam si opera facta in statu peccati essent meritoria de congruo supernaturalium bonorum, multum prodesse, etiam si absque charitate facta fuerint, quod videtur repugnare verbis Pauli. Secundo, ab inconvenienti, quia alias sequitur posse peccatorem mereri saltem de congruo suam justificationem et remissionem peccati, et ita justificatio esset ex operibus, et non esset omnino gratuita, quod repugnat Paulo in tota epistola ad Rom. Sequela patet, quia si status gratiæ non est necessarius ad meritum de congruo, nihil deest peccatori, quominus possit habere tale meritum respectu gratiæ et remissionis peccatorum, quia habet auxilium gratiæ, quo potest convenienter ad illud præmium operari. Tertio, est ratio a priori, quia peccator carens gratia non potest facere Deum sibi debitorem alicujus boni, quia ratione peccati meretur privari omni bono; ergo non potest ullo modo etiam imperfecto mereri apud Deum. Probat consequentia, quia omne meritum juxta gradum suum constituit debitorem eum apud quem meretur; nam meritum dicit habitudinem ad remunerationem, seu mercedem cum proportione. Hac ergo ratione peccator, cum sit Dei inimicus, videtur incapax omnis præmii et remunerationis, ac proinde etiam cujuscumque meriti.

2. *Secunda opinio simpliciter negans approbatur.* — Nihilominus verius censeo statum gratiæ non esse simpliciter necessarium ad meritum de congruo. Hæc fuit communis sententia antiquorum Theologorum, quos sequenti capite referemus, inter quos est D. Thomas, in 2, d. 27, quæst. 1, artic. 4; tenent etiam late Bellarminus et Vega ibidem citandi, qui ex antiquis Patribus illam confirmant, quos ibi etiam commodius afferemus. Nam hæc assertio potissime suadenda est exemplis ibi tractandis, quia peccator, bene utens aliquo auxilio divino, potest aliud majus a Deo promereri saltem de congruo, et pari ratione, se sufficienter disponendo ad

gratiam, illam promeretur, et similiter Scriptura dicit eleemosynam extinguere peccata; ergo si fiat spiritu fidei, et per auxilium gratiæ a peccatore, erit utilis saltem per modum meriti de congruo ad perfectam pœnitentiam obtinendam. De quorum exemplorum veritate paulo post plura dicemus. Nunc ratio a priori est, quia ad meritum de congruo non requiruntur omnes condiciones necessariae ad meritum de condigno, ut per se notum est; ergo sufficientes condiciones illæ, in quibus, secundum rectam rationem ac prudentem providentiam, aliqua sufficiens congruitas ex parte operis et operantis fundari possit, ut ratione talis operis aliquod speciale beneficium operanti reddatur; sed licet operans non sit justus, potest sufficiens ratio hujus congruitatis inveniri; ergo non est cur illa conditio sanctitatis personæ ad hoc meritum semper necessaria sit. Probat minor (cætera enim omnia clara sunt), quia imprimis ex parte actus potest esse perfectio supernaturalis satis proportionata alteri dono supernaturali ejusdem ordinis, ad eum modum quo actus est proportionatus habitui, vel unus actus alteri, etc. Ex parte vero operantis, licet sanctitas non præcedat, in hoc invenitur magna congruitas, quod facit quantum in ipso est, seu quantum in tali statu potest ac debet cum auxilio divino. Hanc enim proportionem etiam in meritis justorum D. Thomas consideravit, quæst. 114, art. 3, et quoad bonum et supernaturalem usum libertatis æque invenitur in opere peccatoris, quamvis dignitas ex parte personæ illi desit; ergo, licet ex hac parte deficiat opus peccatoris a perfectione meriti de condigno, nihilominus ex aliis capitibus sufficientem rationem ad meritum de congruo retinet. Accedit quod, licet ad hoc meritum non supponatur gratia sanctificans, nihilominus supponitur fides; hæc enim, ut dixi, fundamentum est, et inchoat supernaturale meritum, ut cum Augustino sæpe diximus: at vero fides, licet sola non sanctificet personam, nihilominus initiat sanctificationem ejus, propter quod fideles omnes solent interdum in Scriptura Sancti vocari; ergo hæc etiam conditio ex parte personæ, cum aliis quas ponderavimus, ad supernaturale meritum de congruo sufficere poterit.

3. *Ad primum ex Paulo in num. 1.—Ad secundum.—Ad tertium.* — Neque obstant verba Pauli in contrarium inducta, non est enim sensus Pauli peccatorem nihil facere posse, quod sibi sit aliquo modo utile et commodum